

DE
TEMPORE ET LOCO

ADMINISTRANDI BAPTISMI.

TITULUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Concilium Romanum restituit usum baptizandi in Paschate, et Pentecosten.
- 2 Benedictio fontis Sabbato Paschae, et Pentecostes facienda est.
- 3 Et simul sollemnis administratio Baptismi.
- 4 Solemnis administratio Baptismi facienda est in Ecclesiis majoribus.
- 5 Baptizati Albas vestes a die Baptizimi ad octavam Paschae deferbant.
- 6 Dominica in Albis cur sic appellata?
- 7 Ecclesia provideri debet de aliquo Baptizando in duobus dictis Sabbatis.
- 8 Caeremoniale Episcoporum praecipit per octo dies ante Pascha, et Pentecosten neminem debere baptizari.
- 9 Nullus locus est, in quo non possit administrari Baptismus.
- 10 Ecclesia est proprius locus Baptismi.
- 11 Dummodo in ea sit fons Baptismalis.
- 12 Ecclesiae cum Fonte Baptismali in Civitatibus sunt rarae.
- 13 In qualibet Ecclesia Parochiali debet esse Fons baptismalis.
- 14 Baptisteria deberent esse extra Ecclesiam.
- 15 Catechesis Baptizandi debet fieri extra Ecclesiam.
- 16 Nemo baptizari debet in locis, seu Capellis privatis.
- 17 Excipiuntur Reges, et Principes qui dispensantur.
- 18 Sed debent esse magni Principes, et Duces.
- 19 Facultas impetrari debet ab Ordinario pro Baptismo privato.
- 20 In privato Baptismo non dispensantur Principes ab uso Aquae sollemniter benedictae.
- 21 Parochus in Baptismo privato debet secum deferre Aquam benedictam.
- 22 Forma, nitor, et custodia Baptisterii.
- 23 Imago S. Joannis Baptistae picta esse debet in Baptisterio.
- 24 S. Joannes Baptista Protector Neophytorum.
- 25 Fons Baptismalis aliquo Sancto dicendus.
- 26 Baptismus noster figuratus in Baptismo Christi per Joannem.

1 Totum hunc Textum quasi obsoletum renovavit nuper in suo Romano Concilio SS. Benedictus XIII. *Tit. 26. c. 1. dum*

inquit: Non est Parochorum tantum, quod juxta Sacra Canonum statuta a Rituali Romano praescribitur, ut solemnis scilicet per eos, bis in anno, utroque Sabbato ante Sacratissimum Pascha, et Pentecostem Baptismalis fontis benedictio persolvatur, sacrumque Baptisma tunc solemnius ministretur. Speciali id etiam ratione ab Episcopis exigit Caeremoniale Episcoporum, et nos ipsi, praecipuas velut inter Pontificalis Ordinis actiones, non minori sollicitudine commendamus.

§. I. Quamvis Baptismus quovis tempore, etiam interdicti, et cessationis a divinis, praesertim si urgeat necessitas, conferri possit; tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiae ritu, sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia, hoc Sacramentum administrari maxime convenit: nempe Sabbatum Sanctum Paschae, et Sabbatum Pentecostes; quibus diebus baptismalis Fontis Aqua rite consecratur. Quem ritum, quantum fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitae periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino praetermitti, praecipue in Metropolitanis, aut Cathedralibus Ecclesiis.

2 3 4 5 6 7 8 Non tantum igitur hisce duobus temporibus statuta est benedictio fontis, sed etiam sollemnis administratio Baptismi, unde gravari non debent Episcopi etiam per se aliquando habere hanc administrationem: sollemnis enim, Pontificalisque administratio Sacramenti decet, ut fiat in Ecclesiis majoribus, non autem minoribus Parochialibus, in quibus extra dies praescriptos Baptismus non nisi in gravi necessitate conferri poterat. Quamvis autem haec consuetudo sit antiquata, illius tamen nonnulla vestigia remanent, et hanc, ut supra diximus, ad pristinum fastigium remittere conatus est SS. Pontifex Benedictus XIII. feliciter regnans. Ultra quam quod a die Baptismatis usque ad octavam Paschae, Baptizati, vestibus Albis induti incedebant: hinc factum est, ut Dominica prima post Pascha, Dominica in Albis appellata fuerit. Deinde mos ille etiam servatur nunc in vigilia Paschae, et Pentecostes benedicendi fontem, in quo Baptismus ministratur. Ac tandem in iisdem solemnitatibus quaedam verba inseruntur in Canone Missae ad Baptizatos spectantia. Quare si in Canone mentio fit Baptizatorum, videtur consonum, ut aliquo modo verificentur illa verba, et Episcopi, vel dignitates Ecclesiarum majorum advertant, ut de aliquo sive

cretum *S. C. Rituum*: in qua proposito per Card. Scotum dubio die 13. Maji 1719. *An liceat erigere Altare particulare pro explendo Baptismate Infantis Baronis?* Responsum fuit: *licere permittente Episcopo, et ad mentem, quae fuit, ut permitteret.*

20 21 Sed cum sumper sit extra necessitatem haec administratio Baptismi in Oratoriis, seu Capellis Principum, non dispensantur Ministri ab usu Aquae baptismalis solemniter benedictae, quia, licet private id habeatur, adhuc est sollemnis administratio. Sed in sollemni Baptismo debet adhiberi Aqua Fontis Baptismalis; ergo etiam in hoc usu in quo Parochus debet quantam Aquam sufficere judicat ad hoc ministerium e sacro Fonte exhaurire, et illam in vasculo mundo decenter ad locum Baptismi faciendi deferre, nec non quidquid ex ea superest, ad Fontem iterum, seu ad sacrarium reportare.

§. IV. Baptisterium sit in decenti loco, et forma, materiaque solida, et quae Aquam bene contineat, decenter ornatum, et cancellis circumseptum, sera, et clave munitum, atque ita obseratum, ut pulvis, vel aliae sordes intro non penetrent, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur Imago Sancti Joannis Christum baptizantis.

22 De forma, et nitore. nec non de custodia, et cura Baptisterii, satis clare, et perspicue loquitur, et regulas praestat Marcell. Cavallier. saepius a me in hoc opere enunciatus, *Rect. Eccl. tit. 8. pag. 17. et seqq.* a cujus documentis recedere non diligentis ecclesiastici esset.

23 24 Imago S. Joannis Baptistae praecipitur a textu nostro, ut ex illa distinguatur Fons baptismalis a cuoquaque alio aedificio similiter facto vel intus, vel extra Ecclesiam. In aliquibus Civitatibus S. Joannes Baptista assumitur in Neophytorum protectorem.

25 26 Addo etiam: cum quisque locus sacer alicui Sancto dicandus sit, Fontem baptismalem in honorem Praecursoris Domini, qui in Jordane Christum baptizavit, consecrari debere; et hoc ad denotandum pertranseuntibus mysterium, de quo in illo loco agitur; nam Baptismus noster fuit figuratus in Baptismo Christi, in quo Christus, non a se, sed a Joanne voluit baptizari, Clericat. *de Bapt. dec. 38. num. 2. §. His tamen, etc.*



DE
SACRIS OLEIS

ET ALIIS REQUISITIS.

TITULUS DECIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Duo Olea praescripta sunt ad usum Baptismi.
- 2 Chrisma idem est ac unctio.
- 3 Ejus definitio.
- 4 Quid sit Oleum Catechumenorum?
- 5 Catechumenus quid significet.
- 6 Oleum Sanctum debet benedici illo anno, quo adhibetur.
- 7 Sacerdos adhibens vetus Oleum peccat.
- 8 Vetus Oleum comburendum.
- 9 In casu necessitatis adhiberi potest vetus Oleum.
- 10 Ratio Physica propter quam non debet adhiberi vetus Oleum.
- 11 Oleum Sacrum debet benedici ab Episcopo.
- 12 Simplex Sacerdos ex sola commiss'one Papae potest benedicere Oleum.
- 13 Sed intelligi debet de Oleo Extremae Unctionis.
- 14 Parochus eligere debet Personam dignam, quae deferat Olea Sacra de loco ad locum.
- 15 Oleum non benedictum potest immisceri benedicto.
- 16 Vasa pro Oleis quatenus esse debeant.
- 17 Excluduntur aenea, vitrea, lignea, marmorea, etc.
- 18 Inscriptio Vasculorum debet esse bene efformata.
- 19 An peccet adhibens unum Oleum pro alio?
- 20 In Extrema Unctione errans in Oleo, Unctionem repetat.
- 21 Multi Doctores tamen sustinent opinionem contrariam.
- 22 Bombacium, seu alia materia similis adhibenda.
- 23 Digitus pollex adhibendus in Unctione.
- 24 Vasculi Oleorum custodiri debent in Fonte Baptismi.
- 25 Non omnis tactus Sacrorum Vasculorum sacrilegus est.
- 26 Sortilegia multa fiunt cum Oleo Sancto.
- 27 Per Oleum Sanctum multa mala tolluntur.
- 28 Sacra Olea debent deferri per Ministrum Ecclesiasticum.
- 29 An Campanarius deferre possit Olea Sacra?
- 30 Salis benedictio duplex.
- 31 Sal benedictum pro uno ministerio, non adhibeatur pro alio.
- 32 Sal benedictum imminutum esse debet.

Infanti, sive Adulto baptizando provideatur in illis diebus Ecclesia, juxta praescriptionem Caeremonialis Episcoporum, *lib. 2. cap. 27.* quod vetat ne per octo dies antea, nisi periculum immineat, Infantes baptizentur in ipsa Ecclesia.

§. II. Ac licet, urgente necessitate, ubique baptizare nihil impediatur, tamen proprius Baptismi administrandi locus est Ecclesia, in qua sit Fons baptismalis, vel certe Baptistarium prope Ecclesiam.

9 10 11 12 13 Nullus locus in Orbe terrarum est, in quo administrari non possit Baptismus, in casu necessitatis, quia manus Domini non est adeo abbreviata, ut ubique gratiam suam non diffundat. Verum ad dignitatem tanti Sacramenti demonstrandam, statutum fuit, ut proprius locus esset Ecclesia quam vocat *Sacramentorum confugium*. D. Laurentius Justinianus, *ser. 9.* Non omnis vero Ecclesia ad hoc valet: requiritur, ut in ea sit Fons Baptismalis; aliter contra Textum ageret qui extra casus necessitatis, baptizaret aliquem in Ecclesia, in qua non esset fons Baptismalis: Quae Ecclesiae in Civitatibus Italiae non ita obviae sunt, immo rarae esse solent, *Franc. de Eccles. Cath. cap. 19. num. 25.* non obstante resolutione C. C. demandantis, ut in qualibet Ecclesia Parochiali esse debeat fons baptismalis, ut notat Fagnan. *in. c. cum contingat, n. 59. de decim.* Certa hic Ferrariae, non obstante tantae vastitate Civitatis, et numero Ecclesiarum, duabus tantum in Ecclesiis patet iste Fons, nempe in Cathedrali, et in Templo Parochiali S. Mariae in Vado Can. Reg. S. Salvatoris; ex antiquissima possessione. Non ita vero in Ecclesiis Dioecesis, in quibus pene singulis inest iste fons Sacramentalis.

Quoniam vero de bino Fonte Baptismali in Civitate Ferrariae existente, uno nempe in Ecclesia Cathedrali, altero in Ecclesia Canonicali S. Mariae in Vado, verba fecimus, operae pretium duco, vanam illam observantiam objurgare nonnullarum Obstetricum, quae (quo fine ductae penitus ignoro: utinam vero non ab avaritia, seu a praemio sibi proposito) decantant, Infantes baptizatos ad fontem Ecclesiae S. Mariae in Vado existentem, morbo epileptico, sive apopleptico, vulgo nuncupatur, *il male della materia*, in posterum esse minime obnoxios. Quae vana opinio innititur verbis Marci Antonii Guarini, *Con. histor. Rerum Eccles. Ferrar. lib. 5. pag. 303.* qui ait, hoc privilegium (et sani gratis) haberi ex antiqua observantia: quae utique vana est, et nullius momenti, nec a peccato veniali immunis, cum unum Sacro Fontem supra alium utiliozem, et ma-

gis privilegiatum sustineat, ac si Sacramentum Baptismi idem non sit in utroque loco, nec par sit virtus in utrisque. Igitur cum nimis materialis sit haec observantia, tanquam vana et peccaminosa abjicienda est, nec toleranda a fidelibus: cadit enim sub regulis allatis per Toled. *Instruct. Sacerd. l. 4. c. 16. n. 1.* Experientia insuper fallacem illam demonstravit, cum Testes adhuc superstites habeam, qui Infantes, suos in eadem Ecclesia ad hunc finem baptizatos, morbo Epileptico correptos periisse collacrymaverint.

14 15 16 Infertur ex nostro textu antiqua institutio fontium baptismalium, qui extra Ecclesiam erant, et adhuc in aliquibus Civitatibus, et Ecclesiis exstant; ut ita verificentur verba illa adhibita in caeremonis Baptismi: *Ingrederi in Templum Dei, etc.* Verum in hoc casu istud Baptistarium extra Ecclesiam gerit vices Ecclesiae, et Templi Dei. Ad quod verificandum requiritur, ut Catechesis Baptizandorum (juxta praescriptionem Rubricae a regnante Summo Pont. in *Conc. Roman. tit. 26. cap. 3. renovatae*) extra omnino, non intra Ecclesiam, sive Baptistarium fiat.

§. III. Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum Filii, id ipsis ita deposcentibus; dummodo id fiat in eorum Capellis, sive Oratoriis, et in Aqua baptismali de more benedicta.

17 18 19 Filii Regum, et Principum, loci privilegio gaudent, et dispensantur ab observatione hujus Textus, *Barbos. de Off. et pot. Par. p. 1 c. 17. n. 39 ad 40.* qui affert text. *in clem. unica, de Bapt.* ubi Vitalin. *n. 43.* intelligit loqui de magnis dominis, *Ugolin. de Offic. et pot. Ep. l. 2. c. 15. §. 6. n. 2.* et ideo non comprehendere Ducem Venetiarum, et Januensem, sed Duces Regales, *Aloyis. Ricc. in Prax. aur. resol. 427.* tenet Principes Regni Neapolitani includi sub dispositione illius Textus. Certe ly *Magnorum Principum*, indicat, non omnes Principes in hac dispensatione, seu tolerantia includi amplecti. Verum meum non est hic disputare de praeceminentia Principum, quos omnes in suis Regionibus magnos judico, et humillime veneror. Unice dico ad explicationem nostri Textus, et praecipue illorum verborum: *id ipsis ita deposcentibus:* teneri hujusmodi Principes, hanc facultatem ab Ordinario loci petere, et non sibi tribuere hanc dispoticam licentiam contraveniendi stylo ab Ecclesia praescripto: quod magis comprobatur per de-
Com.—P. 12.